



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 3. Continuatur Explicatio aliorum locorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur explicatio aliorum
Locorum.

OBJICIT 17. ex 1. ad Cor. II. v. 3. Ubi appellatur *Caput Christus Deus* & quidem hac comparatione, quod caput mulieris sit vir, caput vero Christi Deus, & tamen verus & summus Deus, nullum supra se potest habere caput.

RESPONDETUR. In hoc est emphasis, sicut eadem substantiæ sunt mulier & vir, caput & membrata consubstantialia esse Patrem Filium. Rursum sicut principium corporis est caput, ita est fontalis origo Deitatis Pater. Potest etiam hic locus intelligi de humanitate Christi, supra quam excellit Deitas. Quando autem dicit, Christum spectari hic secundum personam, id non convincit, quia supra naturam quæ personatæ est convenit illi excellentia; sed ratione personæ, sed ratione naturæ; ad eum modum, quo Petrus uritur, comedit; licet personitas non uratur, nec comedat. Ille etiam locus, quando Christus dicitur esse Dei & secundum naturam humanam accipi debet, & secundum hoc, quia ipse est Filius Patris.

OBJICIT 18. ex 1. ad Cor. 15. 24. 28. Ubi dicitur Filius traditurus esse regnum Deo Patri, etiam subiectus futurus, & tamen Deus summus nulli potest tradere regnum, nec subijci.

RESPONDETUR. Sicut Pater iudicium Filio tradit, ipse tamen iudicio se non spoliatur; sic quoque se tradere potest Filius regnum Patri, nec tamen se eo spoliare. Illud quod additur, Christum fore subiectum Patri, enodatione intelligitur. Ambrosius 1. 5. de Fide c. 2. apud Petavium 1. 4. c. 8. n. 2. id ita accipit, quod scilicet sit Filius subiectus Christus Deo, non in se, sed in membris, quæ plenè non nisi post diem iudicii, & in die æternitatis subijciuntur Deo: *Quidam ergo subiectus est Christus*, inquit Ambrosius, *cujus adhuc membra non sunt subiecta*. Duplex aliam viam huius loci explicandi ostendit P. Cichovius in suo Credo, desumptam ex 1. 2. quorum sensus summam dicit esse hanc, loquitur ibi Apostolus tunc mundi finem fore, cum omnia obsequantur simpliciter Christo. Deinde ne aliquis erraret existimando Christum tunc, quando ei etiam secundum humanitatem sumpto Deus omnia subijciat non fore Deo subiectum, docet S. Paulus Christi humanitatem etiam tunc (hoc enim notat textus Græcus) subiectam fore Deo, ut Deus sit omnia in omnibus. Secundum hunc modum suggestit. Christus quia homo, qui nunc habet specialem modum homines & Angelos regendi eorum ministerio utendo, ad perficiendum ho-

minum salutem, & varia dona influendo, post diem iudicii ab eo regimine, aliisque functionibus quibus nunc utitur in regenda Ecclesia, desistet; ad eum modum, quo Prorex deposito Magistratu dicitur esse subiectus Regi, vel aliquis superior Religiosus functus officio; non quod antea subditus non fuerit, sed quod qui antea erat subiectus cum aliquo sibi commisso regimine, postea est sine ullo regimine, subiectus. Deinde hoc argumentum solvendum restat ipsi Crellio ne falsificentur verba Angeli, *Et regni ejus non erit finis*. Quæ adfert de mediatore, supra sunt soluta. Quæ adfert de sacerdotio Christi, pondus non habent, quia Christus est sacerdos secundum humanam naturam, non quomodocunque sumptam, sed terminatam persona Verbi.

OBJICIT 19. Si Christus esset Deus summus resuscitatio ejus illi metipsi tribueretur, sed non tribuitur, ad Galat. 1. ad Ephes. 1. v. 19. & 20. &c.

RESPONDETUR. Falsum esse quod saltem aliis locis non tribuat Christus sibi sui resuscitationem; *Solvite inquit, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod dicebat de templo corporis sui: Et, *potestatem habeo iterum sumendi animam*. Quare autem Paulus id non commemoravit in placitum illius, attendens ad circumstantias, an potuerint audientes portare hanc veritatem? referri debet.

INSTAT 1. Infirma erit argumentatio Pauli 1. ad Cor. 15. Ubi Paulus ostendit, nos resurrecturos quia Christus resurrexit: non enim tenet, ipse se virtute propria excitavit. Ergo & nos propria virtute resurgemus.

RESPONDETUR. Non esse hanc illationem, sed hanc; Si seipsum potuit excitare, poterit & nos.

INSTAT 2. Deus Christum resuscitans à Christo condistinguitur, indicatque personam unam resuscitantem, utpote numero singulari significatam, nec Nestorianismum evaderet, qui Dei voce Christum ipsum nominatim intelligens diceret eum resuscitasse Christum.

RESPONDETUR. Deus Christum resuscitans condistinguitur à Christo secundum naturam humanam, non secundum personam, nam secundum personam etiam seipsum resuscitavit. Deinde nomine Deus importatur quidem persona una non individualiter, sed communiter ad plures, ut dictum supra. Qui autem dicit, Deum resuscitasse Christum, intelligendo secundum naturam humanam, Nestorianismi notam non incurrit, sed evadet Eutychianismum, agnoscendo diversitatem naturarum.

INSTAT 3. Per nos Christus est resuscitationis nostræ causa, eaque in illius mente, ut ita dicam, posita. Ex quo inferit, non habuisse illum potestatem supremam Divinam, sicut ex

Cc

co

R. P.
MŁOD
NOWSKI
m. d. e. Z.
VI

eò quod habeamus potestatem, ut Filii Dei simus, non infertur in nobis potestas Divina.

RESPONDETUR. Arbitrariè hoc Crellium asserere, & licet collatio potestatis per liberalem donationem non arguat Deitatem; arguit tamen si sit per communicationem essentiae, qualem non reperiri in Christo nondum probavit Crellius.

OBJICIT 20. Ex illo ad Coloss. I. v. 15. Ubi appellatur Christus imago Dei invisibilis, Figura substantiae Patris, &c. nulla autem imago est ejusdem numero essentiae cum eo, cujus est imago, alioqui sui ipsius imago foret.

RESPONDETUR. Nulla imago creata est ejusdem essentiae cum eo cujus est imago; secus sentiendum de imagine increata; estque Filius propriè respectu Patris, qui illic intelligitur nomine Dei, imago; à quo distinguitur in ratione personae realiter.

INSTAT 1. Si Christus invisibilis Dei imago est, deberet esse ipse visibilis, adeoque non Deus: Sequelam probat; Ideò enim est imago Dei Christus, quia cum Deum, utpote invisibilem per seipsum cognoscere non possumus, dari debuit Christus, in quo tanquam in imagine visibili cerneretur.

RESPONDETUR. Negando sequelam cum sua probatione, Christus ideò dicitur esse Dei invisibilis imago, quia ab illo procedit in similitudinem. Totus etiam discursus in multis se involvit, vel enim hæc imago, quæ est Christus est corporea? quomodo ergo in illa spirituale videtur? Si incorporea, erit æque invisibilis atque Deus? Si autem per visibilitatem intelligit notitiam intuitivam Dei, non apparet quomodo in creato possit intuitivè videri Deitas?

INSTAT 2. Filius ratione essentiae est Patri simillimus, ergo ratione essentiae distinctus numero, quia imago numero differt ab eo cujus est imago, & simile à simili, sunt enim hæc inter se relata ac opposita.

RESPONDETUR. Filium ratione essentiae esse simillimum per identitatem; non per multiplicationem; nec ratione essentiae est imago, sed ratione personae: nam de ratione imaginis est, esse productam, ratione autem essentiae Filius, non est productus. Unde ulterius adverti debet, similitudinem esse duplicem: unam per identitatem, & aliam per expressionem, aut per multiplicationem ejusdem naturæ, vel qualitaris; prior illa non fundat relationem; nullius enim relatio est ad seipsum, fundat secunda.

OBJICIT 21. Si Jesus, Deus ille summus esset, ex eo esset, quia Dei Filius est: ex hoc autem colligitur ipsum non esse summum Deum: quod præter rationes refutatas, ita probat. Cum aliquot causæ in sacris literis exprimuntur, ob quas Jesus Dei Filius sit, nulla earum est talis, ut eum

Deum illum summum constituat, utpote quæ Christo secundum naturam humanam conveniunt; quod ipsum probatur, quia Angelus volens rationem reddere Virgini, quare sit vocandus Filius Dei id assert, quia obumbrante virtute Altissimi, sine missione viri conceptura erat; quo posito sequitur, *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

RESPONDETUR. Consentit Crellius *Ly vocabitur*, accipi pro *erit*: sed interim hoc quod est esse Filium Dei adhuc, dupliciter sumitur, vel ratione unionis personæ Divinæ cum natura humana, hoc est, quare evaserit hæc natura humana Filius Dei; & hujus ratio hic assertur, nempe facta obumbratio: vel sumitur Filiatio Dei pro ipso formali filiationis, & constitutivum esse Filii; hujus rationem in præsentem non reddit Angelus. Dici etiam posset quod ostendatur hic à posteriori Divinitas, quia scilicet ex suppositione legis Divinæ, ordinisque naturæ, unusquisque purus homo, generari debuit ab utroque sexu; consequenter si nascitur solum ex Virgine, nec erit purus homo, sed Theanthropos. Quando autem urget, cur Angelus non ita sit locutus, ut appareret eandem illam personam jam inde ab æternitate fuisse genitam, ad hoc, responderi potest, quia erat expeditus ad tractandam incarnationem; non ad explicandam æternam generationem.

INSTAT 1. Christus rationem reddens, quod immeritò illi irascerentur Judæi quod se appellaret Filium Dei, probat hoc exinde, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemavit, quia dixi Filius Dei sum.

RESPONDETUR. Eo loco significari, cur evaserit illa humanitas Filius Dei, quia scilicet sanctificata ipsius Verbi interveniente unione hypostatica. Notat & bene Petavius, l. 3. c. 6. quod cum videret Christus illos verè apprehendere, quod ille sit Deus, debuisset simpliciter deducendo illos ab errore, dicere; Ego non sum Deus, quod non facit, sed probavit adhuc suam Divinitatem, & cum fuissent scandalizati Judæi ex illo verbo; Ego & Pater unum sumus, tamen subintulit æquivalentia & probativa Deitatis, in Me Pater, & Ego in Patre.

INSTAT 2. Frequenter pro ratione redditur; Cur Christus sit Filius Dei, quia scilicet est resuscitatus à mortuis, ut habetur Act. 13. v. 32. & 33. ad Rom. I. v. 4.

RESPONDETUR. Hic non reddi rationem Cur sit Filius Dei secundum substantiam, sed quod tanta gloria illuminatus sit post tantam passionem, quasi secundo fuerit genitus, vel quod resuscitatio illius sit causa, ob quam ei credere debent, illum esse Filium Dei; nam ideò occisus, quod se Filium Dei fecerit, nihilominus miraculo surrexit, quod non fuisset factum, si verè non fuisset Filius Dei.

INSTAT

INSTAT. Quia cum dixisset S. Petrus nomine omnium Apostolorum Matt. 16. v. 16. *Tu es Christus, Filius Dei vivi* Marcus tantum habet *tu es Christus*. Lucas *Christus Dei*, qui posterioribus duo, potissimam confessionis partem non omisissent, si aliud esset esse Filium Dei, aliud esse Christum: Jam verò Christum esse seu unum esse à Deo Deum illum summum nequaquam constituit.

RESPONDETUR. Esse Christum seu unum utcumque Deum non constituit, sed esse unum unione, quâ Messias ungi debuit, est esse Deum, quæ unctio est unio hypostatica, Divina personæ; quam unctionem, quod hic non intellexerint Evangelistæ probandum restabit Crellio. Immo si per illud Christus, non intellexerint Evangelistæ Filium Dei vivi, alteruter filium dixisset aut hic qui dicit à Petro appellatum esse Christum Filium Dei, aut hic, qui dicit appellatum fuisse nonnisi Christum.

OBJICIT 22. Christus secundum eam naturam secundum quam est Filius Dei, & quidem unigenitus ac proprius, pro nobis est mortuus, ergo non est Deus summus, Antec. probat. quia summi Dei amor erga nos ex eo ostenditur, quia ipse Filium suum unigenitum proprium pro nobis in mortem tradidit, sed si Christus non secundum eam naturam secundum quam Dei Filius fuit, sed secundum aliam, quæ Filii unigeniti Dei personæ accesserit, mortuus fuerit, nec simpliciter de Filio Dei unigenito, eum esse mortuum, aut pro nobis datum, dici potest summus ille Dei Amor non poterit exinde colligi, quid enim adeo mirum aliquam unigeniti Filii Dei accesserit, seu naturam ei adjunctam, pro nobis fuisse mortuam, si interim unigenitus Dei Filius integer mansit, nec dolorem sensit?

RESPONDETUR. Quamvis non mortuus sit pro nobis natura Filii, imò nec potuerit mori, sufficit quod natura humana, quæ personaliter fuerat Deus fuerit mortua: salvatur autem amor Dei erga nos; quia illa natura, non erat qualis-que, sed subsistens in Verbo, ita ut ratione communicationis idiomatum, verum sit dicere, Deus mortuus.

OBJICIT 23. Incarnatio est creditu difficilior, & tamen non inculcatur à Scriptura.

RESPONDETUR. Inculcari illam à Scriptura, sed bene intellectâ, & explicationibus impotens non distractâ; inculcant illam illa verba. Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est. Inculcant illâ Apostoli inculcantes Christum esse Filium Dei, & simul verum hominem.

OBJICIT 24. Deo summo nihil est opus Spiritu Sancto, & tamen opus erat Christo, quia per illum dicitur demonia viciisse, eo repletus fuisse, &c.

RESPONDETUR. Hæc omnia intelligi de humanitate; in contra quæ adfert jam sunt soluta.

INSTAT. Hæc quæ patravit Spiritus Sanctus respectu humanitatis si tribui deberent personæ Trinitatis, maximè tribui deberent Filio, tum ratione arctissimæ unionis cum natura humana; Tum, quia Filius est Virtus Dei naturalis, per quam Pater effecit omnia.

RESPONDETUR. Potuisse quidem tribui Filio, sed potuisse etiam tribui Spiritui Sancto, quia illi attribuitur opus sanctificationis vel maximè. Quod autem dicit secundam personam per nos esse virtutem Dei naturalem, id indiget limitatione; quia nos admittimus omnipotentiam communem omnibus tribus personis, quæ operatur ad extra.

OBJICIT 25. Tentationem Diaboli quæ tentavit Christum. Sed hæc refertur ad naturam humanam. Ea quæ ulterius adfert facile exinde solvi possunt, quod ipse nescierit verè Christum esse Filium Dei, licet addubitarit. Hoc difficile adfert Crellius nempe Diabolum ob contemptum Majestatis Divinæ clarissimè olim conspectæ cœlo exclusum; nunquam enim ille habuit visionem Dei, vel decretorum illius. Imò etiam si Christus concedatur esse purus homo, non potuit tamen ex sententia Crellii superari à Diabolo. Cur ergo tentatus? In hoc est admiranda exinanitio Christi ab Apostolo laudata. Quando autem ex eo loco, quod Christus sit primogenitus omnis Creaturæ, arguit Christum esse Creaturam, id de Humanitate Christi accipi posset; posset accipi & de Divinitate, primogenitum non ex creaturis, sed ante creaturas genitum, accipiendo: quod genitivus ille Latinus Ly omnis creaturæ, patitur; Denique quod dicit ex eo, quod appellatur æqualis Deo Christus, inferri non possit esse ejusdem essentiae cum Patre, aliàs sibi ipsi æqualis esset, id non convincit: nam hæc æqualitas in essentia non est relativa, sed identitatis; & æqualitas relativa, est nonnisi ratione distinctarum realiter personarum.

Punctum Difficultatis 4.

Quæsitæ quædam proponuntur.

PER Constitutionem Regni cum fuissent extra fines Poloniæ omnes Ariani relegati erat inter illos M. D. Elias Slichting, Burgavius Districtus Costensis, venit ille ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Albertum Tolibowski Episcopum Poseniensem disputaturus, de Fide fultus non tam sua doctrina, quam manuscriptis M. Domini Jonæ Slichting viri literati, germani sui. Evocatus ego sum ad hanc disputationem, postea prædictus Dominus renuit disputare, quia tamen malè eum habebant, mea Theologica dicta in familiari colloquio,

Cc 2 loquio,